

Coniectanea.

I Plutarchus in symposiacis VIII 9, 3 p. 732 E ἡ ἀταξία inquit καθάπερ ἡ Πινδαρική ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγε, quibus Bernardakis ed. Teubn. IV p. 347 subnotavit 'fort. respicitur Bergk 3 p. 719' (id est de harena et pulvere et avium plumis sententia ἀδέσποτος). ergo perierunt Pindari Olympionicae? quos tamen eo maior spes est redituros in lucem, quod et Bacchylides modo revixit et illos etiam post renatas litteras philologi in manibus habuere, legi enim puer in Horati commentario 'prima carminis stamina ducta a Pind. Ol. β'.

Sulla de rebus suis quos libros composuerat, Romae post Ciceronis aetatem nemo legit, itaque apud Latinos scriptores reliquiae eorum nisi paucillae atque minutae non inveniuntur. plurima ex eis Plutarchus nobis tradidit, nam durasse videntur in Graecia sicut vetusta Livi Odyssea quam A. Gellius se deprehendisse in bibliotheca Patrensi narrat, et Chaeronenses apud quos Sulla proelio commisso Archelaum vicerat, habebant profecto quod Sullanarum rerum memoriam tenerent librosque volutando retractarent. Plutarchus quae rettulit, coniuncta cum ceteris fragmentis HPeter hist. Rom. fr. p. 127 ss. proposuit, omissum autem ab hoc video quod ille quaerens an seniori res p. gerenda sit cap. 6 p. 786 E deprompsit, ed. Teubn. V p. 30: ὁ δὲ Σύλλας, ὅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων τὴν Ἰταλίαν καθήρας προσέμιξε τῇ Ῥώμῃ πρῶτον, οὐδὲ μικρὸν ἐν τῇ νυκτὶ κατέδαρθεν ὑπὸ γῆθους καὶ χαρᾶς μεγάλης ὥσπερ πνεύματος ἀναφερόμενος τὴν ψυχὴν, καὶ ταῦτα περὶ αὐτοῦ γέγραφεν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν. id factum erat anno 665/89 exeunte, tum cum Sulla finito ex maxima parte Italico bello ex Samnio agroque Nolano Romam rediit adepturus consulatum.

in symposiacis Plutarchi VIII 6, 1 p. 726 A codices: καὶ γὰρ βάτου (vel βάπτου) παρὰ Καίσαρι γελωτοποιοῦ χαρίεν ἀπε-

μνημόνευσεν. scite emendavit Madvicus advers. I p. 655 καὶ Γάλβα τοῦ παρὰ Κ. quam lectionem recepit Bernardakis IV p. 329. sed ut omnibus numeris absoluta fiat emendatio, scribi oportet Γάββα. nam erravit Madvicus cum scurram hunc parasitum Caesaris confunderet cum Ser. Galba iuris perito quem Horatius sat. I 2, 46 perstrinxit. quamquam error iste et inveteratus insedit et latius serpens effecit ut in Amatorio Plutarchi p. 759 s. editor novissimus IV p. 427 s. pariter Γάββας obtruderet nobis sprete codicum auctoritate in quibus scriptum extat Κάββας. Gabba, inquam, scurrae nomen fuit, id enim membranae testantur fide dignissimae. quia autem nec latinum nomen esse nec graecum senserant, librarii saepe attemptarunt suoque arbitrato mutarunt. velut apud Iuvenalem 5, 4 *quae nec Sarmentus iniquas Caesaris ad mensas nec vilis Gabba tulisset* sic P, *Galba* p, vel apud Martialem X 101 *ille suo felix Caesare Gabba vetus* sic libri optimi, reliqui *Galba*. atque hoc epigramma in Thuaneo inscriptum esse Schneidewinus adnotavit *de Garba*, quod sive pro *Galba* elatum balbe pronuntiando sive calami vitio ortum plane congruit cum Plutarcho illo γὰρ ββα. abhorret Gabbae vocabulum a graeco latinoque sermone, quam ob rem hominem ex ea regione provenisse conieci quae plurimos mimos ac ridicularios per antiqua oppida sparsit Romamque misit, ex Syria, idque eo puto confirmari quod cum civitates nomine Gabbae ibi fuerunt tum vir Iudaeus Γάββα appellatur in I Paralipomenon 2, 49¹. domesticus scurra Gabba fuit Caesari, non Augusto cui plerique eum adsignant (Friedlaender ad Mart. I 41, 16 et Iuv., Dessau prosopogr. imp. R. II p. 104), licet etiam ultra mortem Caesaris vixerit et cum Maecenate conversatus, dum hic pulcras mulieres venatur, lenoniam operam ei commodasse feratur. ceterum si expenderis quae de librariis ante dixi, non dubitabis amplecti quam Spaldingius in Quintiliano VI 3, 27 et Heinrichius in Iuvenale timidius professi sunt falsisque implicuere sententiam, quaecumque Quintilianus in illa περὶ γελοίου disputatione profert ridicula codicesque *Gabbae* aut *A. Gabbae* aut *L. Gabbae* aut *Gallae* adtribuunt, ea omnia uni Caesaris parasito vindicanda esse, sexiens igitur restituendum nomen *Gabbae* ad hunc modum § 27 *est lascivum et hilarare qualia Gabbae pleraque (agalbae Ambrosianus)* et 62 *ut a Gabba*² (*a l.*

¹ τὸν Σουε πατέρα Μαχβανα καὶ πατέρα Γαββαα secundum interpretationem graecam quae ab hebraica voce *gib'a* paulum declinavit.

² hoc exemplum fortasse cunctabitur quispiam Gabbae reddere

galba idem codex solus, *a galba* ceteri). probabile est scurrae Caesariani facetias libello quodam conlectas pervenisse in notitiam posteriorum, suspicor equidem a Maecenate Melisso relatas in volumina ineptiarum sive iocorum (Sueton. gram. 21), nulla tamen Gabbae memoria extat imp. Flaviis antiquior.

redeo ad symposiaca capitulum id quod primum tetigi. p. 734 A queritur Plutarchus quod balnea corpus corrumpant emollitum calore et aestu tum frigida mersum. prioris aevi hominem proclamaturum fuisse aperta ianua horum balneorum ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέρων τε Πυριφλεγέθων τε ῥέουσιν. hanc lectionem ex codicibus revocari oportet, non recte editores (Teubn. IV p. 351) εἰς Ἀχέρωντα ex Homero. eius enim verba Plutarchus demutavit ut concluderet versu sententiam et influere balneis tam gelidas undas quam fervidas ioco declararet, in altero nomine notionem communem inferorum, in altero vocabuli propriam secutus.

versus qui symp. IX 1, 3 p. 737 B (IV p. 360) memoratur coram Pompeio intempestive recitatus, Homeri est Γ 428. hanc culpam qui commeruit magister nescio an Aristodemus sit Nysaeus quem grammatica institutione erudiisse Pompei liberos circa id tempus (significatur autem annus ante Chr. 61) Strabo docet XIV p. 650. atque etiam quae secuntur ἀστοχίας exempla prodita ab senatore consolaturo Cassium Longinum et a Rhodio quodam ludos grammaticos spectante in Caesarianam aetatem incidisse videntur, Cassi filius qui vano rumore peregre mortuus dicebatur, potuit ille esse qui cum Crasso adversus Parthos ierat.

II Aetnae poeta commentos esse vates ait Manium umbras et iura et supplicia. versu 83 *rotant Ixionis orbem. quidquid et interius falsi sibi conscia terrent. nec tu, terra, satis*, mentiuntur etiam de caelo. mancam esse orationem, periisse versum inter *terrent* et *nec tu* interiectum Munro animadvertit eiusque versus principium restituit *pectora*. ego homoeoteleuton in causa fuisse opinor ut intercideret versiculus, redintegrandam orationem ad hoc exemplum censeo *quidquid et interius falsi sibi conscia*

propter ipsa verba *sic petis tamquam Caecaris candidatus*. sed ne dicam facetiarum multarum varios tradi auctores et ad Gabbam potuisse referri quae postea fictae sint, liquet omnino candidatos Caesaris re fuisse iam Rebilum et quos Caesar dictator commendarat, verbo autem honorifici tituli vim peculiarem non prius accessisse quam in consuetudinem vertit principis commendatio principatu constabillito (cf. Mommsen iuris p. Rom. II 926, 1).

terret [pectora, sub latebris fingunt consistere terrae.] *nec tu, terra, satis.*

versu 107 terra describitur introrsus rimosa ex cavis, *qualis acervus exilit imparibus iactis ex tempore saxis, ut crebro introrsus spatio vacuata charybdis pendeat in sese.* recte ad sententiam quidem Itali *vacuata* fecerunt, sed *vacat acta* cum in codicibus legatur, praefereamus quo vetustiores magis utebantur verbum *vacefacta*. χάρυβδις quae secundum glossaria *vorago* est, hic ad struem lacunosam ac voraginosam translata est, graeca non multum abhorrent vocabula χαραμός χηραμός, χηραμύδες apud Hesychium feruntur τὰ κοῖλα καὶ ἔχοντα κενώματα, *corneos acervos quos rustici ex congerie lapidum faciunt* Placidus gloss. V p. 59, 4 G., *grumos id est congeriem petrarum* gromaticus scriptor p. 401, 3.

versu 120 de fontibus uberrimis ex terra emergentibus uno hiatu: *nam ille ex tenui vocemque agat, apta necesse est confluvia errantes arcessant undique venas.* feliciter Sudhausium *vocemque* correxisse arbitror in *quocumque*, sed primum quod cum aliis posuit *non ille*, hoc adversari videtur fidei rerum et demonstrationi. requiro equidem *nata ille ex tenui quocumque agat*, hoc est undecumque quamvis tenui ab origine deductas aquas confluere sub terra oportet eo unde prorumpant.

versu 208 ei aculatur Aetna lapides et harenam, *quae nec sponte sua veniunt nec corporis ullis sustentata cadunt robustis viribus*, sed opera ventorum. *ullis* ex G adsumptum est, plerique libri *ullii* habent id est *ullius*, quod illo aptius ac paene necessarium existimo. *robusteis . . . viribus* praeter Lucretium etiam carmen epigraphicum vetustum 979 praebet.

versu 271 tollendam censeo molestam synaloephen quoniam sublata in G est, scribendumque *horreaque ut saturent tumeant et dolia musto*. nam sic respondent inter se copulativae particulae ut σιτοβόλιά τε καὶ πίθοι, quod constructionis genus aliquotiens ab editoribus neglectum video. velut ioculare Noctuini socerique convicium Catalepton VI adhuc neque editum est recte nec quomodo oratio contexta sit satis cognitum aut declaratum. fuit autem tale *tuoque nunc puella talis et tuo stupore pressa rus abibit, et mihi — ut ille versus usque quaque pertinet — gener socerque, perdidistis omnia* valetque prope idem quod ὑμεῖς μὲν μῶροι, ἐγὼ δὲ πανώλης. nam unius membri sunt *tuo et tuo*, hoc membrum conligatur simul et secernitur ab altero per *tuoque — et mihi*.

versu 283 praemittit poeta *cum crescant animae penitus,*

deinde cur crescant causas attingit varias παρενθέτως repetito identidem aurarum ventorumque nomine (288 mons *undique di-versas admittere cogitat auras*), denique absolvit enuntiatum v. 292 sic *praecipiti deiecta sono premit una fugatque torrentes auras*. ubi *una* intellegenda est anima sive aura. itaque postquam bucinam et hydraulen comparavit, iterum dicit 300 *summota furens torrentibus aura pugnat in angusto*, nam unus ventus subito commissus ceteris et colluctatus initium turbarum facit omnium. perperam editores mutarunt.

versu 377. saepe premuntur fauces montis ruinarum congerie quasi quodam tecto. tectum tam ruinosum ac rimosum quo iure *spissum* vocatur? hoc Iacobus finxit, tu revoca ex libris *scisso veluti tecto*. atque hac ipsa scissura tenerascunt venti quos non posse turbare didicimus nisi angustiis inclusos. *tum frigida monti desidia est tutoque licet discedere montes* 379. ultimum verbum ex praecedente versu male iteratum esse apparet, *discedere ventos* Wernsdorfius accommodate ad rem, verum et litteris similis et ad orationis compages convenientius puto *tutoque licet discedere motis*.

versu 430 *dicitur insidiis flagrans Aenaria quondam, nunc extincta super*. miror fugisse doctos coniungendum esse in unum *super insidiis*. videtur poeta tangere sub Epopeo strata Typhonis cubilia (Strabo p. 248).

versum 507 ss. Munro et Sudhausius parum idonea interpretatione explicuere. cadunt ardentia saxa, cadentia autem tali feruntur impetu, ut superiore tempore aliquo Symaethum flumen transgressa sint et rigida mole oppletum quasi congelaverint. hoc *quondam* accidit, tum vix potuerunt ripae reparari, *persaepe* multis diebus opus est ad molem removendam.

versu 569 *aut sacras memorare vetustas*. vere libri *memorare*. neque enim tantum qui visunt mirabilia sed etiam qui memoriae litteris carminibus tradunt in animo habuisse poetam universa quae sequitur expositio demonstrat. vitium haeret in *sacras*, conieci *siquast m. vetustas*. proximo versu *traducti maria et terris* . . . *currimus*, prave *terras* substituerunt. 576 audacter dicuntur qui Thebanas origines canunt *moenia quae fratres Zethus et Amphion condiderunt condere, felicesque alieno intersumus aevo*. superavit iste ea audacia Propertium IV 1, 57 *moenia* se Romana *disponere* dicentem, at *disponere* versu. 587 aptius distingues *et tu, soror, hospita tectis acciperis*, hinc Philomela silvestris evocat ex urbe, illinc Procne hospitio devertitur in urbem. 597 sunt

qui mirentur picturas et signa, *manus operum turbaeque morantur*: minime 'und massen von kunstwerken', sed ὄχλοι καὶ ταραχαί. quod nunc fit etiam tum usu venit, ut artificia non modo propter ipsa spectentur sed etiam quod concurritur ad ea et circumsistitur. 603 Aetnam aspice, *praecipueque vigil*, dum Sirius flagrat. opusne est adnotari nocturnum tempus poetam significare dierum canicularium? nocte non aestiva illa quidem sed verna Horatius Vulcanum ardentem in Cyclosum officinis inducit.

versu 623 *consequiturque fugisse ratis, et praemia captis concrepat*. in hac ignis hostiliter invadentis descriptione si mecum senties quam vim habeat polysyndeton, *que noles deleri sed ita in ordinem versum rediges consequiturque ratis fugisse*. 626 pii fratres *pari sub munere fontis*, cum appropinquarent incendia tectis, aspiciunt patrem matremque defessos procubuisse humi. nimirum parentes ut incendium restinguerent aquam ex fonte petitam ut coniuges pariter ferebant, hoc est *par munus fontis* sub quo defessos in ipso limine concidisse filii vident. 630 *parcite, avara manus* — hoc turbae imperatur, 632 *hanc rapies praedam*, hoc Amphioni. imperat aliquis deus, nominatur autem deinceps et maximis laudibus ornatur Pietas, hanc igitur quasi imperatricem cogites licet. moleste fero quod silentio praetermiserunt interpretes nummos Romanos quibus haec pars carminis ac Pietatis laudes clarius inlustrantur, nummos gentis Herenniae et quos Sex. Pompeius Pius Catinae eudendos curarat signatos piorum fratrum imagine ipsoque Pietatis vocabulo, quales cum alii tum Babelon depinxit. fortasse nummos si nossent insignemque Pietatis vim respexissent, etiam subsequentes versus melius tractassent. nam 640 *sufficit illa* inquit *et circa geminos avidus sibi temperat ignis*. quae est *illa*? matrem iuvenum Munro putat, nihilo saniora alii adferunt. sufficit Pietas videlicet. sequitur ut etiam ante libri quod ostendunt mendo careat, 638 *dextra saeva tenet laevaue incendia* id est Pietas coercet ignes prohibetque ab iuvenum itinere. restat ut media inter 638 et 640 verba, quae nemo non aliqua temptavit, sunt enim manifesto corrupta, leni manu emendemus ad hunc modum: *fertur ille per obliquos ignis fraterque triumphans, tutus uterque pio sub pondere*. in codicibus legimus *ferunt* sive *feruent*, quod verbum librario praecedentia *incendia* suggesserunt, tum *fratremque*. fabula quam poeta expressit, non multo post Lycurgum Atticum videtur esse condita, credas a Callimacho aut aequali informatam vate (643). Lycurgus unum tantum eumque sine nomine Aeneam audierat, iam gemini sunt

fratres facti sed sine nomine alter et nihil nisi geminus, alter *Amplion* et non *Amphinomus* quod nomen posterior Alexandrinis fama circumtulit.

conscriptum Aetnae carmen arbitror post Ovidium et Manilium, sorduisse autem urbanis hominibus et neglectum iacuisse si minus peregrinis causis, ut ipsius dictione utar, at ob metrorum inertiam quandam et sermonis titubationem inhaerentis quidem priscis ac retusis, desilientis tamen ad novissima et licentissima.

III Lactantius Statii scholiasta ad Theb. V 163 p. 271 ed. Teubner. *circumvolat umbra*] et hoc poetice. ut Euripides *Virgilius* 'omnibus umbra locis adero, dabis, improbe, poenas'. quibus haec subscripsit Iahnkius: 'Euripidis locum restituere non potui, in libris leguntur haec: *Syrseen opersu* L *siy sceno. psu* M', ceterorum discrepantias referre supersedeo. ego perpaucos, immo duos tantum Euripidis locos scholiastae argumentationi plane convenire sciebam eorumque secundum continuo intellexi graecarum litterarum reliquiis istis demonstrari, Orestis locum 675 s. K. ποτωμένην] ψυχὴν ὑπὲρ σοῦ. gaudebam scilicet acumine meo, cum commentarios Euripideae fabulae evolvens ecce inveni centum abhinc annos eam emendationem factam evolutamque a Ricardo Porson (Or. 667).

οἶοι νῦν βροτοί εἰσιν, experieris si Lactantii scholion ad Theb. II 85 p. 85 legeris et de Pindari verbis quae novi critici coniectarunt in Bergkii Pindaro p. 384, 44 inspexeris. neve horum mediocritatem a me segregare dicar, restituere verba poetae nihilo magis possum, sed unum tamen vidi quod illos latuit, quod ut ad commenta eorum omnia refutanda valet, ita sagaciori alicui profuturum spero ad rem perficiendam. scholion igitur hoc est: *Ogygii s. g. a. Iacchi*] *Thebani ab indigena, ut ante* [I 173] 'Ogygii, ait, aspera rebus fata tulere vicem.' sic Pindarus in hymnis [ita Boeckhius: in somnis codices, in scoliis Weber]

opite	ΙΩC	De	εΥΡεΝΟΠΟΝΝΗΗΤΗε	TANε	CCITY	[ita L
opirei	ΩC	De	εΥΡεΝΟΡΟΝΝΗΗΤΗε	ΦΛHe	CCINHyHΔ	M
opitei	ΩC	De	εΥΡεΝΟΝΟΝΝΗΗΤΗΦ	ΔNe	CCyNy	Mon.
opisei	ΩC	DC	εΥΡεHOPΩNNεth	ΦλNe	CCINHYI	Pa
opite	ΩIC	ΔE	ΕΥΡΕΝΩΝΝΗΗΤΗε	ΦλNe	CCITPI	Gud.
opite	ΙΩC	ΔE	ΕΥΡΕΝy	NNN	THE	ΦΔNe
					CCITPI	Cassell.]

sequitur novum scholion *afflavit*. ex his graecis certum esse atque apertum vocabulum aio unum τηλεφάνεζ, cetera pleraque

fidei fluxae. conabar Ὠρυγίαις δὲ εὖρεν ὄνομ' ἐν τηλεφανέσσι πύλαις (rex indigena) et Ὠρυγίαις δὲ εὖρεν ἐν οὖρεσι τηλεφανέσσι νῆα (Agaue) et alia ac diversa. quae derideas per me licet, nam rideo ipse, simul ac verum rectumque pronuntiaris.

idem Lactantius ad Theb. III 689 p. 186 genialia iura implorata ab Argia explicans scribit *virī enim genitalia conveniunt mulieribus*, nimis quam granditer. *gentilia* M primo, extremum codices subiungunt *iuno*. ergo legemus *virīs enim genialia conveniunt, mulieribus Iuno*. scis enim genium esse Gai, Iunonem Gaiae.

idem ad Theb. V 431 p. 284 *unde factum est ut ita Athenienses iurent* μὰ τοῦς ἐν Μαραθῶνι. Demosthenes ita iuravit de cor. 208, quo de schemate multum disseruerunt rhetores, is qui περὶ ὕψους scripsit cap. XVI et XVII. ἐν Atticus orator omisit, rhetores addiderunt, de Lactantio non liquido constat, tamen *matus et maratoni* M.

idem ad Theb. VIII 1 p. 379 *Claudius: 'heri recedens vesperi Numantinis incidit'*. satis incredibile *heri*, codices fere in *Herius* consentiunt, id Quadrigario iam Lachmannus Lucr. p. 242 reddidit.

scholiasta Achill. I 187 p. 494: *Chiro puero dat expertas pollice chordas.*] *ormizavit vel temperavit*. subest verbum novum, *formizavit* ut opinor ἀπὸ τοῦ φορμίζειν.

Bonnae.

F. Buecheler.